

lani ac robor heroicum primitivæ Ecclesiæ exaquent, cœlesti pane, etiam in paschate se recreare valeant. Summis insuper laudibus extollunt nonnulli liturgicam communionem, quam fieri cupiunt in sola parochiali ecclesia, in qua unum sit altare, ac nolunt asservari consecratas particulas, nisi propter infirmos, aliamve gravem necessitatem; amantque ciboria in alto loco collocata, ut modis omnibus difficiliorem reddant angelici panis sumptionem; et quasi ista non sufficerent, fraudulentis vocibus apud historiæ ecclesiasticæ imperitos beatissima illa prædicant tempora, quibus, juxta ipsos, fideles non nisi rarissime communicabant.

Quemadmodum porro Innocentius XI. nimis liberas hac in re confixit propositiones, ita Alexander VIII. duas nimis rigidas damnavit, quarum altera quæ est n. XXII. ita se habet: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam præterdant, antequam condignam de delictis suis penitentiam egerint.* Altera est n. XXIII. *Similiter arceri debent a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expertus* (1).

Ceterum, utrum præstet ut fideles sæpe ad communionem accedant, an potius ut ab ea absterneant, non potest generatim definiri. Hoc enim huic quæstioni commune est, ut recte admonet Petavius (2), cum omnibus aliis quæstionibus, quæ practicæ dicuntur, et quæ cum pendeant ex variis circumstantiis temporum, locorum, hominum, conditionum, munerum, dignitatum, aliisque, non possunt universali enuntiatione dirimi, sed sunt in partes dividendæ, ita ut singulis partibus singillatim expensis plene satisfiat. Duo tamen certa sunt: primo, optasse semper Ecclesiam, ut fideles sæpe accederent ad sacramentum tam salutare infirmitatibus eorum quotidianis, secundo, nemini illud subduxisse unquam qui animum afferret a peccati contagione, quantum imbecillitas humana pateretur, diligenter purgatum (3). Quamobrem res tota in prudentia ministrorum posita semper fuit, ut declaravit Innocentius XI (4).

DIFFICULTATES. *Obj.* Eucharistiæ proprium effectum esse remissionem peccatorum tum ipsa Ecclesiæ litur-

(1) Cf. Viva in has propositt. Op. cit.

(2) *De Penitentia* lib. II. cap. 3. § 1.

(3) Cf. Petavius in octo libris de Penitentia, quos opposuit pestilentissimo operi Arnaldi, inscripto: *De frequentii communione.*

(4) In decreto *Cum ad aures* circa communionem quotidianam, apud Viva *Dannat. Thesium*, etc. in appendice ad prop. LVI. damnatam ab Intoc. XI.

gia, tum patres omnes passim apertissime tradunt. Ecclesia enim ita in sua liturgia orare consuevit: *Hæc nos communio purget a crimine... Sit abiutio scelerum*; s. Joan. Chrysostomus scribit: *Hocremedio (sacramento) omnis morbus extinguitur* (1). s. Ambrosius: *Accedite, inquit, ad eum, et absolvimini, quia remissio peccatorum est* (2). Hæc autem doctrina Christi verbis innixa est, qui Matth. XXVI. 28. dixit: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; et Joan. VI. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ergo.

Resp. Dist. Ant. Eucharistiæ effectus proprius est remissio peccatorum, quoad pœnam, C. quoad culpam *subd.* est remissio venialium, C. lethalium saltem per se et immediate, N. Etenim eucharistia quatenus est sacrificium propitiatorium, ut inferius ostendimus, vim habet dimittendi peccatum quoad pœnam, leviam autem etiam quoad culpam, qui effectus eucharistiæ etiam prout sacramentum est, pariter tribui solet (3). Ast si sermo sit de culpis gravibus, certum est eucharistiam, etiam quatenus est sacrificium, ipsas non nisi mediate delere, impetrando nimirum gratias ac dispositiones necessarias ad earum detestationem, uti suo loco explanabimus. Quo multiplici sensu adducti textus, alique ejusmodi intelligi debent, prout semper eos intellexit Ecclesia, ut allata documenta apertissimam fidem faciunt. Hinc *Ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem, et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus (Tridentina) illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, aut etiam publice disputando defendere præsumperit, eo ipso excommunicatus existat* (sess. XIII. can. XI).

Et hæc de eucharistia, prout sacramentum est. De ejus enim materia, forma et ministro commodius agemus in altera tractatus parte, quæ de eadem eucharistia est, quatenus est sacrificium.

(1) *Ἡσαν νόσον σβλασθαι διὰ τὴν ἐκκοίνωσιν.* Hom. IV. in Matth. n. 9.

(2) Serm. XVIII. in Ps. CXVIII. n. 28.

(3) Utrum vero præter peccata venialia sacramentum eucharistiæ remittat etiam peccata mortalia *per accidens*, ut dicitur, disputant theologii, alii affirmant, alii vero negant. Cf. Vasquez in 3. p. s. Th. disp. CCV. cap. 3. et 4.

PARS POSTERIOR, DE SACRIFICIO.

Sacrificii vox, quæ est a sacro faciendo, tum impropria seu latiori significatione usurpari solet, tum significatione propria et strictè sumpta. Priori sensu quivis religionis actus, sive interior sive exterior, Dei causa susceptus ipsique gratus, sacrificium vocatur; qua significatione virtutum officia in ipsis sacris

litteris dicuntur sacrificium laudis, hostiæ spirituales, sacrificium spiritus contribulati. Posteriori sensu, qui est proprius et theologicus, sacrificium vulgo definiri solet: *Oblatio rei sensibilis soli Deo facta per legitimum ministrum ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominatum, quæ ritu mystico consecratur, et im-*

mutatur. His postremis verbis aiunt qui hanc tradunt definitionem, poni discrimen, quod intercedit inter oblationem, quæ nullam exigit mutationem et sacrificium, quod mutationem rei quæ offertur exposcit, e. g., effusionem sanguinis, si res sit animata, vel partium divisionem, vel ignis ustionem, si sit inanimata.

Hæc tamen definitio non omnibus theologis aridet, tum ex eo quod nonnulla contineat quæ ad essentialiam sacrificii non requiruntur (1); tum etiam ex eo, quod formalem rationem sacrificii, ut vocant, non satis patefaciat (2); tum denique ex eo quod postrema definitionis conditio, quæ est de immutatione victimæ, seu rei oblatæ non videatur in sacrificio missæ verificari, ideoque ipsam definitionem non posse sacrificio incruento aptari.

Quare Vasquezius, his difficultatibus permotus, aliam subiecit definitionem, quæ illas declinet, et faciliorem sternat viam ad veritatem sacrificii nostri vindicandam adversus protestantes. Ipse igitur generatim observat, rationem formalem sacrificii positam esse in significatione omnipotentis Dei auctoris vitæ et mortis (Vasquez, in 3. p. s. Thom., Disp. CCXXII, cap. 8), ex quo inferit rei oblatæ immutationem non esse de ratione formali sacrificii. Juxta hanc notionem ipse definit sacrificium hoc modo: *Sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitæ et mortis* (3).

Quo posito fundamento, duplex distinguit sacrificium, alterum absolutum, alterum relativum, seu commemorativum. Absolutum illud dicitur, quod tale per se est absque relatione ad alterum nec est alterius commemoratio, veluti mactatio pecudis, vel alterius rei consumptio; relativum vero seu commemorativum illud vocatur, quod tale tantum est ob relationem, quam habet ad alterum, ejus commemorationem seu representationem continet, cujusmodi est sacrificium missæ, quod refertur ad sacrificium crucis, cujus commemorationem imo et representationem præ se fert per duarum specierum consecrationem seu mysticam immolationem (4).

In sacrificio absoluto ex parte materiæ necessario requiritur rei immutatio, ut idem prosequitur; non

(1) Sic e. g. quod dicitur de legitimo ministro, non videtur ad essentialiam sacrificii pertinere, eo quod in lege nature, antequam vel a Deo ipso, vel a societate aliqui destinarentur ad sacrificium offerendum, licitum esset unicuique Deum hoc cultus genere honorare; hinc quamvis Abel non esset primogenitus, Deo tamen obtulit sacrificium: id ipsum dicendum de illis, qui seorsim singuli viverent. Deinde observant isti theologii, totam hanc definitionem posse aptari solemnii thurificationi, quæ etiam consistit in oblatione rei sensibilis ad colendum Deum ordinata, quæ fit a legitimo ministro, et quæ destruitur et immutatur. Nemo tamen dicit thurificationem esse sacrificium proprie dictum.

(2) Nam si ratio formalis sacrificii consisteret in profertenda submissione Deo debita et cultu latrice exhibendo, non differret, aiunt, ratio formalis sacrificii ab adoratione, in qua fides actus erga Deum exercentur, eo magis, quod Deo submissionem et adorationem tam per sacrificium, quam per simplicem oblationem testari possimus. Sed Cf. Vasquez in 3. P. s. Th. Disp. CCXX. cap. 3.

(3) Disp. CCXXI. cap. 5. In hac definitione habetur ratio formalis sacrificii.

(4) Ibid. Disp. CCXX. cap. 3. et Disp. CCXXII. cap. 8.

item vero in sacrificio relativo, seu commemorativo. Ad hujus enim commemorativi sacrificii rationem sufficit immutatio, quæ in absoluto sacrificio præcessit: nam commemorativum sacrificium ad absolutum refertur, illudque exhibet atque commemorat. Si quidem cum ratio sacrificii in significatione omnipotentis Dei auctoris vitæ et mortis formaliter posita sit, si detur oblatio aliqua, per quam absque rei oblatæ immutatione vera et reali Deus auctor vitæ et mortis denotari et coli possit, vere et proprie sacrificium illa dici debet. Sic ut et eidem exemplo sacrificii missæ inhæreamus, per distinctam utriusque speciei consecrationem Christus ipse præsens sistitur absque reali sui immutatione, attamen ut victima. Per hanc enim hostiæ veluti immolatæ præsentiam Deus ut vitæ et mortis auctor colitur; in quo vera sacrificii ratio, uti innuimus, consistit. Enimvero hac mystica immolatione Christus illud idem exhibet sacrificium, quod reali sanguinis effusione in cruce consummavit.

Accurate autem animadvertit idem auctor, ad constituendum veri nominis sacrificium, etiamsi commemorativum illud fuerit, non sufficere simplex signum rei oblatæ, sed insuper rem ipsam requiri. Si enim signum tantommodo adesset, non sacrificium haberetur, sed sacrificii imago. Hinc in sacramentarium hypothesi Christus vere se ipse immolatum non exhiberet, sed immolationis in cruce olim peractæ figuram tantum nobis reliquisset; adeoque verum non haberetur sacrificium (1).

Ita doctus theologus. Nos minime contendimus hanc unicam viam esse ad veritatem sacrificii nostri adstruendam, sed hoc unum dicimus eam nobis videri commodiorem ad propositum finem obtinendum, sive quia tollit præcipuam difficultatem, qua eadem veritas impugnatur, sive quia patrum effata optime cum ea conciliantur, sive demum quia protestantes, ea semel constituta, nihil amplius habent, quo a doctrina catholica circa hunc articulum admittenda retrahantur (2). Duo siquidem tantum in hac sententia requiruntur et sufficiunt, ut adstruatur veritas sacrificii missæ, realis scilicet Christi præsentia in eucharistia, quam superius constituimus; et representatio sacrificii crucis, quam nec ipsi adversarii inficiari possunt inesse in eucharistiæ celebratione. Tantum porro abest, ut exposita doctrina fidei nostræ aliqua ratione adversetur, ut non pauci theologii in concilio Tridentino eam proposuerint ad constabillendam catholicam veritatem hujus sacrificii (3).

Et hæc quoad notionem sacrificii; quod attinet ad ejus divisionem, multiplex est. Siquidem 1. ratione temporis alia sacrificia dicta sunt *legis naturæ*, alia *legis scriptæ*, 2. ratione materiæ quæ offerebatur, alia dicebantur *hostiæ* vel *victimæ*; alia *immolationes*, alia

(1) Ibid. Disp. CCXXII. cap. 8. n. 66.

(2) Hinc merito Veronius in *regula fidei* cap. 2. § 14. exposita doctrina Vasquezii subdit: « Quid facilius creditu sacrificio vero et proprio, solum tamen commemorativo non absoluto sic explicato? »

(3) Cf. Pallavicini *istoria del concilio di Trento*, lib. XVIII. cap. 2.

libamina; 3. ratione modi quo perficiebantur, aut *holocausta*, aut *hostiæ pacificæ*, aut *hostiæ pro peccato* nuncupata sunt, de quibus fuse in Levitico; ratione finis nonnulla appellata sunt *latreutica*, per quæ Deo exhibebatur obsequium subjectionis et servitutis; nonnulla *eucharistica*, quæ scilicet in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis; nonnulla *impetratoria*, quæ ad beneficia obtinenda; nonnulla denique *propitiatoria*, quæ ad placandum Deum offensum ob culpas admissas peragebantur. Has omnes proprietates, quæ multiplici huic sacrificiorum divisioni locum dederunt in veteri lege, et hos varios fines omnes in se complectitur unicum novæ legis sacrificium de quo agere institimus.

CAPUT I. DE VERITATE SACRIFICII EUCHARISTICI EJUSQUE NATURA.

Non solum, quotquot e novatoribus realem Christi præsentiam in eucharistia rejiciunt, ut calvinistæ, zwingliani, sociniani, methodistæ, rationalistæ, veritatem sacrificii proprie dicti respuunt; sed et ipsi Lutherani, qui Christum realiter præsentem in sacramento admittunt, ejusdem sacrificii veritatem inficiantur, quasi sacrificio crucis injurias. Horum enim parens Lutherus sacrificium quod in eucharistiæ celebratione offertur, vocat *abominationem*, ac in colloquio, quod cum malo dæmone habuit, fatetur mendacem hunc spiritum sibi auctorem et suasorem fuisse ad abrogandum missæ sacrificium (1). Concilium Tridentinum anathemate hunc errorem percussit sess. XXII, et dogma catholicum asseruit quatuor canonibus, quos jam subjicimus. Can. I. *Si quis dixerit in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anath. sit.* Can. II. *Si quis dixerit illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi alique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, anath. sit.* Can. III. *Si quis dixerit missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse summenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anath. sit.* Can. IV. *Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anath. sit.* Ad hanc doctrinam vindicandam sequentibus propositionibus accedimus.

(1) Cf. Bellarm. *De euchar.* lib. v. cap. 3. n. 3. Ex his reprehendimus, duos priores *sacrorum emendatores*, qui inter se decertabant de principatu rebellionis adversus Ecclesiam Dei concitate, Lutherum nempe et Zwinglium, alterum magistrum habuisse spiritum quem ipse nesciebat alius ne, an ater esset cupis hortatu negavit realem Christi præsentiam in eucharistia, alterum præceptorem habuisse diabolum ipsum. Quomodo non pudeat hæreticos, sese in disciplinam tradere horum *emendatorum*, seu potius diaboli, qui utriusque magister extitit? Nec enim talia a Catholicis excogitata sunt, sed ipsimet hæresiarchæ ea litteris consignarunt.

PROPOSITIO I. — *In missa offertur Deo verum et proprium sacrificium, prout sacræ litteræ in primis ostendunt.*

Christus in cœna seu in institutione eucharistiæ verum ac proprium Deo obtulit sacrificium. Porro quod ipse fecit, id ipsum ab apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, faciendum esse mandavit illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. XXII, 19. Ergo in missa verum pariter ac proprium Deo sacrificium offertur.

Major hujus argumenti propositio, in quam solam cadere potest difficultas, multiplici ratione evincitur. Ac 1. ex dictis circa sacrificii eucharistici notionem, ad formalem rationem sacrificii commemorativi seu relativi, cujusmodi eucharisticum esse declaravimus, duo requiruntur et sufficient, realis nempe Christi præsentia in eucharistia, et representatio mortis Christi ad significandam omnipotentiam Dei auctoris vite et mortis. Jam vero primum adstruximus adversus sacramentarios, alterum vero a nullo adversariorum in dubium revocari potest; consecrationem enim duplicis symboli, seu panis et vini seorsim factam, ad significandam separationem sanguinis a corpore, quæ contigit in Christi morte referri, omnes protestantes non solum admittunt, sed contendunt, ut superius vidimus (1); hæc præterea representatio ac proinde relatio ad immolationem, quæ facta est in cruce, cum ipsi consecrationi intrinseca sit, intrinseca pariter ipsi est ratio formalis sacrificii veri et proprie dicti. 2. Id ipsum conficitur ex ejusdem institutionis adjunctis. Christus enim eucharistiam instituit, immolato veteri paschate in corpore agni, cui novum sufficit in oblatione corporis sui. Quod si verum sacrificium fuit veteris paschatis celebratio (2), verum quoque debuit esse sacrificium celebratio novi; illud solum inter utrumque sacrificium intercessit discrimen, quod sacrificium in agni mactatione oblatum fuerit sacrificium absolutum, quod vero in institutione eucharistiæ oblatum est, fuerit relativum ad sacrificium crucis mox in cruce peragendum. Rursus quo tempore

(1) Cum nempe de promissione eucharistiæ ex Jo. VI. et iterum cum de communione sub utraque specie ageremus.

Hic tamen notandum est, diversa ratione referri sacrificium missæ ad sacrificium crucis ab ea, qua relatum fuerit in cœnæ celebratione. Nam in cœna referebatur institutio eucharistiæ ad sacrificium crucis mox futurum, in missa referitur ad idem sacrificium jam præteritum.

(2) Ut nobis protestantes eriperent argumentum, quod ex immolatione Agni paschalis eruitur tanquam figura sacrificii nostri, indicati sunt in agni illius immolatione haberi rationem sacrificii. Ast præterquam quod ex ipsa rei natura eruitur veri sacrificii ratio, Josephus Flavius passim expresse vocat *sacrificium* agni immolationem, ac omnes Judæi id ipsum profitentur. Denique ipsi protestantes et in hac parte manus victas dederunt, dum postea agnoverunt et fassi sunt, agni mactationem verum fuisse sacrificium. Cf. inter ceteros Bochart in *hierozoico* lib. II. cap. 30. in quo prolixam instituit disputationem de *agno paschali* ac § 5. ex professo ostendit tum ex Scriptura, tum ex ritu ipso pascha verum fuisse sacrificium. Opp. edit. Londin. 1665. tom. I. col. 331. et seqq. Altamen Kuinoel in cap. I. Joan. v. 29. adhuc contendit contra apertam Scripturarum auctoritatem, et consensum totius judæicæ gentis, agni paschalis mactationem non fuisse sacrificium proprie dictum, sed solum improprie.

eucharistiam Christus instituit, novum fœdus, seu testamentum condidit, dicens: *Hic est sanguis novi testamenti*; testamentum autem et fœdus ex Apostoli doctrina, Heb. IX, 17 et seqq., sacrificio et sanguine dedicari oportuit; quare sicut Moyses de sanguine vituli dixit, Exod. XXIV, 8: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*, seu ut hæc verba referret Apostolus Heb. IX, 20: *Hic est sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus*, ita ad hæc Christus alludens, imò iisdem pene utens verbis in novo suo fœdere sanciendo, ait: *Hic est sanguis novi testamenti*. At Moysis verba dicta sunt de sanguine oblatis sacrificii, ergo et Christi verba de oblato sacrificio in sanguine suo prolata esse intelliguntur (1).

Hæc autem majus robur accipiunt ex Actis apostolicis, atque ex doctrina Apostoli. In Actis siquidem XIII, 2. de prophetis et doctoribus antiochenis legitur: *Ministrantibus autem illis Domino et jejuniatibus, dixit illis Spiritus sanctus, etc.* Quæ de sacrificii oblatione intelligenda esse, aperte constat ex græca voce *λειτουργιώντων*, quam Erasmus vertit: quum illi *sacrificarent* (2); et Henricus Stephanus: *Dantibus operam rebus dominicis*. Paulus vero I. Cor. X, 18. et seqq. ut fideles advocaret ab idololatriis scribit: *Videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?... Sed quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, et non Deo. Nolo vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum*. Quibus verbis Apostolus confert mensam et altare christianorum, cum mensa et altari ethnicorum; atque mensa et altare referuntur ad sacrificium; ergo sacrificium christianorum confert Apostolus cum sacrificiis ethnicorum; jam vero hæc, esto malis spiritibus seu diis oblata, sacrificia tamen erant proprie dicta: igitur ex mente Apostoli, verum ac proprie dictum censendum est sacrificium christianorum. Rursus idem Apostolus Hebr. XIII, 10. revocaturus pariter eosdem fideles ab usu sacrificiorum judaicorum: *Habemus, inquit, altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt* (3). Ut ergo Judæi, sic et christiani habebant altare (gr. *θυσιαστήριον*, *sacrificatio-*

rium) de quo ederent. Cum vero christiani de altari suo nihil aliud edant quam eucharistiam, plane inde consequitur eucharistiam juxta Apostolum offerri in sacrificium; alioquin perperam meminisset altaris, si eibus ille, qui dicitur de altari sumptis, Deo in sacrificium oblatum antea non esset.

Hæc confirmantur ex V. T.; omissis enim tum quæ de Melchisedech sacrificio in pane et vino oblato leguntur Genes. XIV, 18. quo adumbratum fuisse oblatum a Christo in ultima cœna sacrificium patres unanimiter docent: tum quæ de immolatione agni paschalis, aliisque veteris legis sacrificiis, quæ totidem fuerunt typi sacrificii eucharistici, de quibus fuse Bellarminus (1). Celebre est oraculum Malachiæ I, 10. In eo siquidem dicitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum*. Hoc porro oraculo significari 1. veterum sacrificiorum abrogationem; 2. novi excellentioris sanctiorisque sacrificii exterioris et proprie dicti in eorum locum suffectionem, offerendi, per novos sacerdotes qui assumi deberent ex gentilitate; 3. ejusdem demum per universum orbem oblationem et celebrationem suo loco ostendimus (*Tract. de Incarnatione*). Atqui tria hæc in solo sacrificio eucharistico reperiuntur. Ergo.

DIFFICULTATES. *Obj.* In institutione eucharistiæ nulla vox occurrit quæ vel leviter insinuet oblatum esse a Christo sacrificium: nusquam siquidem legitur Christum dixisse *offero, sacrifico*, aut aliquid ejusmodi. 2. Imo non pauca in ea habentur, quæ oblationem sacrificii excludant. In cœna enim Christus testamentum condidit et sacramentum instituit. Jam vero ratio sacrificii consistere nequit cum notione testamenti et sacramenti. Nam sacrificii ratio in eo posita est, ut aliquid nos Deo offeramus, contra vero per testamentum et sacramentum nobis aliquid a Deo datur. Insuper testamenti et sacramenti promissio fide accipitur, sacrificium vero ex fide oritur; et quemadmodum idem esse non potest oratio, et quod per orationem consequimur, sic nequeunt idem esse testamentum et sacrificium. Demum eadem ratione, qua non dicitur per testamentum aliquid dari testatori ab hærede cum potius testator hæredi relinquat rem suam; sic etiam fieri nequit, ut per eucharistiæ sacramentum Deo aliquid offeramus. Ergo.

Resp. ad 1. Neg. Ostendimus enim verba quibus usus est Christus in consecratione calicis, et adjuncta reliqua, quæ institutionem eucharistiæ comitata sunt, rationem denique ipsam institutionis eucharistiæ per duplicis symboli distinctam consecrationem ad representandam Christi mortem mox futuram, necessario postulare ac involvere oblationem veri sacrificii. Cum vero ratio sacrificii non in verbis, sed in

(1) Hoc loco revocanda est in mentem observatio Glasii, quam supra retulimus, quæque hic etiam percommoda eadit. Glasius ex collatione textus mosaici cum textu paulino et verbis Christi recte concludit veritatem realem Christi præsentiam in eucharistia, nos recte ex iisdem quoque inferimus veritatem sacrificii eucharistici quod in cœna institutum est, cum sanguis a Christo in cœna apostolis datus conferatur cum sanguine ex mactatis et oblatis victimis V. T.

(2) Licet vero Erasmus græcum textum vertat, uti attulimus, in nota tamen exponit de prædicatione evangelicæ scribens: *λειτουργιώντων* quod proprium est operantium sacerdotum. Nullum autem sacrificium Deo gratis, quam impartiri doctrinam evangelicam. Cf. Opp. ed. Lugd. Bat. 1705. tom. VI. Et ita passim protestantes expositores in criticis sacris ad h. l., si Grotium excipias, quæ exponit juxta Syrorum et Arabum vocem illam in sensu *precandi* eo quod conjugatur cum jejuniis. Grotio adstipulantur Rosenmüller et Kuinoel, qui addunt id contigisse aliquo die festo ac solemniori. Adversus hanc expositionem cf. Corn. a Lapide.

(3) *ἵκεται θυσιαστήριον, ἵς οὐ φαγὴν οὐδὲ ἔχουσιν ἐξουσίαν εἰς τὴν ἐκκλησίαν*.

(1) Lib. v. *De Euch.* qui est primus *de sacrificio* cap. 7.

rebus ipsis, seu in ipsa insit actione significante Deum ut auctorem vitæ et mortis, hinc opus non est, ut in ejus oblatione dicatur *offero*, aut *sacrifico*: prout neque verba hæc proferebantur a sacerdotibus moisaicis in immolatione victimarum, neque prolata sunt a Christo ipso, cum in cruce moreretur, quin tamen adversarii inficerentur, Christum in cruce verum obtulisse sacrificium.

Ad 2. *Neg. Ad prob.* vero adductas dico, optime in una eademque re sub diversa ratione consistere notiones testamenti et sacramenti cum notione sacrificii. Etenim quatenus eucharistia conficitur per notam, qua profitemur Deum auctorem vitæ et mortis, ratio habetur sacrificii, et dicitur a nobis Deo offerri, quia per illud potentiam ejus significamus. Quatenus vero eadem eucharistia suscipitur a nobis, est signum et causa gratiæ nos sanctificantis, ac propterea sacramentum, et dicitur a Deo nobis donari, quia Deus per illud nos sanctificat. Ex hac porro animadversione concidunt reliqua ab adversariis superstructa, quæ laborant eadem falsa suppositione. Nam sub diversa ratione et aliquid a Deo petimus et idem illud Deo offerimus, fide promissiones accipimus, et ex fide sacrificium peragimus; sic etiam ut hæredes per testamentum bona a Deo consequimur, et per sacrificium Dei omnipotentiam significamus.

II. *Obj.* Catholicorum doctrina de sacrificio missæ nullo modo cum doctrina Apostoli conciliari potest. Docet enim Apostolus, 1. solum crucis sacrificium ita sufficiens esse ad peccatorum omnium remissionem, ut nullum aliud in religione christiana sit requirendum; nam Heb. IX, 12. de Christo ait: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*; v. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*; tum cap. X, 10. *In qua voluntate (Dei) sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel*; v. 14. subdit: *Una oblatio, consummavit in sempiternum sanctificatos*. Quæ quidem dixit Paulus ut discrimen constitueret inter sacerdotes veteris legis, qui quotidie repetebant sacrificia, et Christum, qui una tantum oblatione opus nostræ redemptionis peregit, et idcirco ibid. 18. addidit: *Ubi autem horum (peccatorum) remissio, jam non est oblatio pro peccato*, quod et significavit Christus ipse Joan. XIX, 30. dicens: *Consummatum est*, id est, perfectum uno illo crucis sacrificio redemptionis opus. Docet 2. Apostolus, præter summum atque æternum pontificem Christum, qui semetipsum obtulit, et per proprium sanguinem introivit semel in sancta, nullum esse in nova lege sacerdotem agnoscendum, qui offerat in sanguine alieno: *Alii quidem*, inquit Heb. VII, 25. *plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium... qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes... hostias offerre... Hoc enim fecit semel, seipsum offerendo*. Quod si Christus nullum habet in sacerdotio successorem in terris, nec ulla in terris ad sunt sacrificia, quæ sacrificio illius succedere pos-

sint. Atqui catholicorum systema admittit alterum præter illud crucis sacrificium, atque alios præter Christum admittit sacerdotes offerentes non suum, sed Christi sanguinem; adversatur igitur doctrina catholica doctrinæ Apostoli.

Resp. Neg. ant. Ad 1. prob. Dist. Docet Apostolus solum crucis sacrificium sufficiens fuisse ut causam generalem meritoriam nostræ redemptionis et sanctificationis, C. ad exclusionem sacrificii eucharistici, ut causæ particularis, qua nobis Christi redemptio et sanctificatio in cruce promerita applicaretur, N. Hanc esse Apostoli mentem, constat ex antithesi, quam ipse instituit inter sacrificia V. L. et sacrificium crucis; illa enim quamvis multiplicata per quotidianam iterationem non poterant ex sese peccata delere, nec sanctificationem efficere; contra vero sacrificium Christi in cruce peractum, utpote infiniti valoris, utrumque cumulatissime præstitit, quin alio ad nos redimendos et sanctificandos eruento sacrificio opus sit. Hac ratione omnes adducti textus exponi debent. Non excludi autem ab Apostolo oblationem incruentam sacrificii, quod in celebratione eucharistiæ quotidie offertur, ut per eam nobis in particulari meritum sacrificii in cruce peracti applicetur, evidenter constat ex ipsa etiam protestantium doctrina. Nam ipsi unanimiter docent fide, qua apprehenduntur veluti per instrumentum Christi promissa et merita hæc nobis applicari, seu effici ut unicuique nostrum imputentur merita Christi; docent sacramenta esse aut signa aut pignora hujus per fidem faciendæ, aut factæ imputationis. Ergo per suum ipsum systema protestantes profitentur, non esse sufficiens crucis sacrificium ad nostram justificationem et sanctificationem, sed opus præterea esse aliquo medio, quo fructus illius sacrificii ad nos perveniat, et nobis prosit. Hoc autem principio semel constituto, sola controversia quæ vigere potest inter catholicos et protestantes, versatur circa naturam, efficaciam aut modum, quo istud medium efficiat in nobis justificationem et sanctificationem promeritam a Christo per sacrificium in cruce peractum. Protestantes tenent id fieri per imputationem extrinsecam, catholici vero per applicationem intrinsecam; ast æque conveniunt in admittenda necessitate alicujus medi quoad imputationem aut applicationem. Ergo medium istud nulla ratione derogat valori sacrificii crucis. Quod si per ejusmodi medium nil detrahatur meritis a Christo in cruce comparatis; et vero etiam necessarium est, ut nos fructum illorum capiamus, perinde erit aut unum, aut plura admittere, sive fidem et sacramenta solummodo, sive insuper sacrificium altaris, ut catholici docent; nulla profecto ratio suppetit protestantibus, quare eo prætextu quod detrahatur meritis Christi, illud respuant vel derisui habeant quin pariter proprio systemati valedicant (1).

(1) Id ipsum evidenter adstruitur ex protestantium doctrina, quam superius impugnavimus, nempe eucharistiæ sacramentum administrari ac suscipi in remissionem peccatorum. Si ipsi hac ratione derogare non putant valori sacrificii crucis et meritis inde per Christum comparatis,

Ad 2. *Dist.* Docet Apostolus, nullos esse præter Christum sacerdotes, qui Christo succedant et offerant sacrificium eruentum redemptionis, C. nullos esse sacerdotes qui tanquam Christi ministri ejus nomine et vice ipsius offerant sacrificium incruentum, quo sacrificii ejus eruenti merita nobis applicentur, N. Eo enim modo, quo proreges et episcoporum vicarii agunt ex persona, nomine, et auctoritate aut regis aut episcopi, quin dicantur iis succedere, ita sacerdotes, ut ministri Christi, ex nomine, persona et auctoritate Christi, juxta ejus institutionem et mandatum offerunt sacrificium, et reliquis sacerdotibus ministeriis funguntur, quin dicantur aut sint ejus successores (1). Offerunt præterea sacrificium incruentum et commemorativum, non tanquam causam meritoriam nostræ redemptionis, sed tanquam medium seu tantquam causam particularem qua nobis applicentur me-

quare hic abominari se profitentur sacrificium missæ, eo quod per ipsum derogetur sacrificio crucis et Christi meritis? Ast quæerere rationem ab iis, qui sibi proprio Marte articulos fidei endunt, est operam perdere.

(1) Egregie Dr. Moehler clarissimo in lumine id ponit scribens: « Considérée sous un rapport, l'Église représente d'une manière vivante Jésus-Christ se manifestant et agissant à travers tous les siècles: éternellement elle continue son ouvrage; tous les jours elle renouvelle l'œuvre de la rédemption. Le Sauveur n'a pas seulement vécu il y a dix-huit siècles. Non il n'est point disparu du milieu de nous; mais toujours vivant en son Église, il y révèle sa présence sous des formes sensibles. Dans la prédication de sa parole, il est lui-même le docteur éternel; s'associe à l'homme par les eaux du baptême, pardonnant au pécheur, fortifiant l'adolescent, béniissant l'union des époux, il s'unit dans l'eucharistie à tous ceux qui soupirent vers la vie bienheureuse; c'est lui qui console, encourage le mourant; c'est lui qui consacre les organes par lesquels son infatigable bonté répand tous ces bienfaits, toutes ces grâces. Mais si Jésus-Christ, caché sous un voile terrestre, doit continuer jusqu'à la fin l'ouvrage qu'il a commencé sur la terre, il s'ensuit que, dans tous les temps il s'immole à son Père pour le genre humain. Or, nous devons retrouver dans son Église la représentation vivante de ce sacrifice; car le Sauveur y célèbre son existence immortelle.

Efforçons-nous de pénétrer le dogme catholique dans toute sa profondeur; puisse enfin notre doctrine être saisie par les protestants! Jésus-Christ s'est immolé sur la croix pour nos péchés. Mais comme le Fils de Dieu, qui est mort et ressuscité, a voulu, d'après ses propres paroles, résider dans l'eucharistie, à Jésus-Christ présent d'une manière mystique et seulement visible aux yeux de la foi, l'Église a substitué (par l'ordre du Sauveur, Voy. Luc. XXII, 20.), le Christ historique aux sens corporels, c'est-à-dire elle a pris l'un pour l'autre, car le Christ qui a souffert et le Christ eucharistique ne sont qu'un. Ainsi l'agneau de Dieu, dans l'auguste mystère, est la victime de propitiation pour les péchés du monde. En effet, pour nous exprimer avec toute la précision qui nous est possible, le sacrifice de la croix n'est qu'une partie d'un ensemble organique: toute la vie du Sauveur, ses actions, ses souffrances et sa mort ne forment qu'un immense sacrifice, qu'un acte d'amour et de miséricorde. A la vérité cet acte se compose de plusieurs moments; mais aucune de ses parties ne constitue le chef-d'œuvre de la bonté divine. La volonté du Christ de se donner à nous sur nos autels entre aussi dans cette grande immolation, car elle compte parmi les mérites qui nous sont imputés. Le sacrifice de la messe est donc un véritable sacrifice; mais on ne peut toutefois le séparer de la vie du Sauveur, comme on le voit clairement par le but de son institution. Dans cette dernière partie de son sacrifice, Jésus-Christ nous donne tout ce qu'il a fait pour nous: son immolation, d'objective qu'elle était, devient subjective, propre à chacun de nous en particulier. Le Rédempteur s'immolant sur la croix nous est encore étranger; dans le culte, il est notre bien propre, notre victime. Là il se donne pour tous les hommes, ici il se donne à chacun de nous. Là il n'est que victime, ici il est reconnu, adoré comme tel. » (Symbolique eccl. cit. liv. I. § 54).

rita a Christo in crucis sacrificio parta, ut paulo ante declaravimus, quemadmodum eadem merita, licet diversa ratione, nobis applicentur per sacramenta. Optime proinde concilium Trid. sess. XXII. Cap. I. declarat, quod Christus *In cœna novissima qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponse suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo eruentum illud semel in cruce peragendum representaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie commutuntur, peccatorum applicaretur... corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituēbat, ut sumerent, tradidit; et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit*. Ex his vero constat, qua ratione intelligi debeant objecta Apostoli verba.

III. *Obj.* 1. Si missa est sacrificium, erit novum testamentum, imo vero quot sunt missæ, tot erunt testamenta; ergo ut rata sint, Christus in singulis debet mori, siquidem testamentum non nisi in morte testatoris confirmatur; et ita fit, inquit Calvinus, ut prima mors pro nihilo sit. 2. Quod si hostia non occiditur, aut non immutatur, sacrificium esse non potest. Quidquid enim Deo ita offertur, ut illæcum maneat ac integrum, illud quidem recte vocaveris donum, munus, oblationem, sed verum sacrificium minime dixeris; atqui in celebratione eucharistiæ nulla in victimam ipsam aut occisio aut immutatio cadere potest. 3. Dicendum igitur, non haberi in missa, nisi simplicem ac nudam commemorationem passionis Christi, 4. cum contradictoria sint, reale sacrificium, quod rem contineat, et sacrificium mysticum, quod rem tantum representet; 5. ac reipsa non defuerunt in ipso concilio Tridentino gravissimi theologi catholici, qui negaverint Christum in cœna verum obtulisse sacrificium, ut refert card. Pallavicini (lib. 18. cap. 2), ac propterea, in missa offerri verum sacrificium.

Resp. ad 1. Neg. Nec enim eucharistia est novum testamentum, sed sanguis solum dictus est a Christo novum testamentum seu confirmatio novi testamenti. Qua vero ratione sanguis sit confirmatio seu sanctio novi fœderis seu novi testamenti, an quatenus per consecrationem in calice continebatur, an vero quatenus effusus est in cruce, theologi inter se non consentiunt; alii enim, juxta gr. vocem in tempore præsentis *εὐχρισμένον* qui pro multis effunditur, contendunt id dictum esse a Christo de sanguine in cœna apostolis ad bibendum dato (1); alii vero, juxta lectionem Vulgate, qui effundetur in tempore futuro, id referunt ad sanguinem mox in cruce effundendum, ac propterea ad Christi mortem, qua novum testamentum confirmandum erat (2); alii denique utroque modo sanguinem dictum esse novum testamentum existimant,

(1) Ita Maldonatus in cap. 26. Matth. v. 28.
(2) Sic Vasquez in 3. P. Disp. CCXXI. cap. 4.